ILLVSTR. ET REVER.
D. BERNARDI EPISCOPI
LVCEORIENSIS
SERENISSIMI SIGISMVNDI III. REGIS POLONIAE ORATORIS.

Oratio Obedientialis

CORAM SANCTISSIMO
D. N. GREGORIO XIIII.
IN CONCISTORIO PVBLICO APVD SANCTVM PETRVM.

Die XXVI. Ianuarij. Anno. M. D. LXXXXI.



SVPERIORVM PERMISSV.

ROMÆ, Ex Typographia Vincentij Accolti, in Burgo.
M. D. X C I.

ILLVSTR. ET REVER. D. BERNARDI EPISCOPI LVCEORIENSIS AD GREGORIVM XIIII. PONT. MAX. ORATIO

COmpareo iterum in hoc Auguſtiſſimò, maieſtatiſq; pleniſſimo conſeſſu, vt tuis Sanctiſſime, ac Beatiſſime Pater aduolutus pedibus; Sigiſmundi III. Poloniæ Regis nomine, primùm quidem ſummum in terris Sanctitati tuæ diuinitùs delatum gratuler honorem; deinde tuam ſupremam auctoritatem agnoſcens; tibi vero Chriſti Vicario, communi omnium populorum paſtori, debitam obedientiam, in hoc ampliſſimo orbis terrarum loco, publicè exhibeam ac præſtem. Complectendum verò in maturando hoc cultus, & obſeruantiæ laudabili officio, religioſiſſimi maioribusque ſuis digniſſimi pium Regis ſtudium, qui vix dum Sixti V. complorata morte, cum & Vrbanum VII. in locum demortui electum, intra paucos dies, ſupremum obijſſe diem, magno ſuo cum dolore cognouiſſet; optatiſſimo tamen Gregorij XIIII. Pontificatu recreatus, ac fau-

ſtis illius initijs, ad ſpem non dubiam rerum maximaru m erectus, voluit per me Beatiſſime Pater ſuam in te colendo pietatem, & obſeruantiam quamprimùm declarare; ne in decernenda noua legatione propter magnam locorum diſtantiam, ad difficultates regni longiorem trahere moram cogeretur. Primus igitur omnium, quamuis longiſſimè abſit, cum omnibus populis, nationibus, prouincijs, non exigua demũ ſuæ ditioni ſubiecta orbis terrarũ parte, ad exoſculandos pedes tuos venerabundus adeſt, ac recenti re, & exultantibus ob tuum Pontificatum bonorum omnium animis, & tibi, & vniuerſæ Reipublicæ Chriſtianæ, non minus libenter, quàm verè gratulatur. Tibi quidem ſummum iſtum, ac cælo proximum Pontificiæ dignitatis honorem; quem admirabili vitæ probitate, ad omnemque integritatis legem, innocentia exacta, ita exæquaſti, vt in te homine ſanctiſſimo, ac ſupra mortalium, omnium dignitatem ſublato, non tam admiremur, immenſam ſummæ felicitatis potentiam, quàm tuas præſtantes diuinaſque virtutes, quæ antea quidem ſatis ſpectatæ, nunc tamen totius orbis theatro conſpiciendæ, tamquàm abſolutiſſimum Chriſtianę perfectionis exemplar omnium oculis proponuntur; ac vt taceam clariſſimam gentis tuæ nobilitatem, tuumque excellens ingenium, optimarum artium ſtudium excultum; illa tui ſingularis iudicij eximia laus eſt, quod in Sacroſancta Tridentina Synodo, in ipſo ętatis flore, ſanctiſſimo, & grauiſſimo patrum concilio adiunctus, dubijs ac obſcuris rebus lucem conſilij tui ſæpe porrexiſti: iam tum certam ſpem illorum fructuum oſtendens, quorum poſtea maximos ac vberrimos prouentus, in Cremoneñ. Epiſcopatu, per continuos triginta annos, nunquàm à laboribus interquieſcens, Eccleſiæ Dei attuliſti. Itaq; propter tua merita, in ampliſſimum Cardinalium collegium adſcitus, veræ ſapientiæ, pietatis, innocentiæ, cæterarumque virtutum gradus, ad Apoſtolici Principatus gloriam, atque maieſtatem ideo es euectus, vt vniuerſam Eccleſiam ſummo cum imperio adminiſtrans, in ipſa Petri Sede inexuperabili

ſtabilita

ſtabilita firmamento, ac veræ fidei munimentis præcinctâ, Chriſti in terris ſummum faſtigium ſanctè inuiolatéq; conſerues. In quo magna quidem tua gloria, ſed non minor profectò noſtri ſeculi felicitas: nam cum in hoc Sacroſancto Cardinalium collegio, clariſſima ex Chriſtiano conſcripta orbe, virtutum omnium optimo ac ſapientiſſimo, ſumma in omnes poteſtas permittenda eſſet: tu non ſolum hominum ſuffragijs, ſed Dei ipſius prærogatiua, veram tantæ gloriæ palmam conſecuturus; in iſta celſiſſima dignitatis atque honoris ſede, pietate, ſapientia, ſanctitate, cunctis mortalibus præluces, vt meritò etiam Chriſtianæ Reipublicæ gratulari poſſimus, quod prudentibus diuturna Pontificis expectatione omnium, Gregorij XIIII. potiſſimùm tamdiu ex optato Pontificatu, mœſtum ac dolentem Chriſtianum populum conſolatus eſt Deus: nam feſſa malis Eccleſia, inſuper tot tantorumque Pontificum continuatis funeribus percuſſa, cum ſponſo viduata ſuo, quaſi corpus capiti de ſponſa tuo, ex illa longa ſedis vacantis nocte, in lucem Pontificatus tui reuocata, in tuo ſinu conquieſcens, ingenti gaudio cumulatur: & quos in ſingulis Pontificibus renouare conſueuit; nunc etiam reſtaurat, veluti quoſdam victricis religionis triumphos, in quibus potentiſſimi reges, cæleſti illo diuinæ fidei nexu deuincti, vt ſanctæ Sedi Apoſtolicæ debitum pietatis penſum perſoluant, te ſupremum religionis arbitrum, atque moderatorem venerantur, ſuamque potentiam ac maieſtatem, ſceptra denique diademataque ipſa, tuis ſanctiſſimis pedibus ſubmittunt: vt tu viciſſim longo illi, Romanorum Pontificum perpetua ſucceſſionis ſerie conſeruato additus ordini, tuam vigilantem curam in omnes Reipublicæ Chriſtianæ partes, acriter intendas; in Gregoriumque non ſolum nomen, ſed etiam gloriam cooptatus tuam paternam charitatem in omnes Eccleſiæ filios pariter diffuſam, toto terrarum orbe diſſemines: largam enim ac multiplicem oſtendendæ benignitatis proferendorumque in omne humanum genus beneficiorum habebis

bebis

bebis materiam: Cum tibi immenſa quædam negociorum ex orbe toto confluentium incumbat moles. Et qui in hac laborioſiſſima officij ſtatione omnium venerationem mereris, omnium etiam vicem ſolicitus, omniumque procurando commoda, non ſolum aſſiduam conſeruandæ, & propagandæ Religionis curam ſuſtines: Verumetiam concuſſa, & ſuper te ruentia Chriſtinorum Regna, tuis humeris excipere videris, quæ antea quidem nutabant, magnis multiſque conflictata incõmodis; nunc autem recrudeſcentibus quodammodo morbis, ac in priori vulnere nouis vulneribus factis, omnino corruent, ſi eorum infinitis, ac ingentibus malis, tua Pontificalis non medicabitur maieſtas. Non minimam verò tuarum vigiliarum partem, iure quodam diligenter conſeruatæ, & fortiter propugnatæ religionis Regnum Poloniæ ſibi vendicare videtur: quod multiplicibus circumuentum periculis, quamuis & effrenata quorundam in violanda religione audacia perturbetur, ſanctam tamen fidem Apoſtolicam, vt antea ſemper integram inuiolatamque ſeruauit; ita nunc aduerſus illos, qui omnia ſacra, ac pium Dei cultum conuellere conantur, maiorum ſuorum exemplo ſedulò tueretur: His præſertim infeliciſſimis temporibus, quibus falſorum dogmatũ teterrimum virus (magno hoc cum dolore loquor) populorum hæretica & ſchiſmatica rabie contactorum peſtilenti quodam, atque venenato orbe mẽtis infecit. Sed ſi quemadmodum quorundam corporum ſalubritatem, ita etiã in conſeruanda religione, quaſi quandam animorum ſanitatem laudare ſolemus, quod coorta peſtilentia vicinis necquiquàm tentata morbis, nulla contagione lædatur: Poloniæ profectò regnum meritò laudabitur, quòd graſſantibus circumcirca pernicioſis erroribus, vicinam tamen contagiem, quaſi à caſto puroque Reipublicæ corpore veræ fidei ſalubritate repellens; nullam vmquàm communem, ac publicam religionis peſtem, conceperit. Et quamuis priuatæ quædam domus falſis illigatæ opinionibus teneantur; earum tamen minor fit quotidie paucitas, &

Gre-

Gregorio XIIII. ad earum incolumitatem inuigilante omnino ſperatur ſalus. Quanta verò gentis noſtræ in ſuſtinenda,ac propulſanda barbarorum immanitate enituerit virtus, latuerit fortaſſis illos, qui proximi tantùm parietis metuentes ignem, arcis ipſius, & propugnaculi incendia non vident. Enimverò Poloniæ Regnum commune eſt propugnaculum in ipſis confinibus, ferociſſimis gentibus oppoſiſitum, & obiectum: quin ipſa potius firmiſſimis munienda præſidijs Chriſtianitatis ianua: qua ſemel euulſa & effracta, erumperent infinita truculentiſſimorum barbarorum agmina, quæ ſubitis excurſionibus,& latrocinijs omnia infeſtantes, ferro atque incendijs Chriſtianas Prouincias vaſtarent: illam tamen dicam iterum,communem,ſolaque Polonorum virtute munitam Chriſtianitatis arcem,reges noſtri ſua peruigili ſtatione, ita ſemper tutati ſunt, & nunc etiam tuentur; iure gloriari vt poſſint; rediuiuam renaſcentium bellorum flammam noſtrorum militum ſanguine,& antea ſemper fuiſſe reſtinctam, & nunc etiam quotidie reſtingui; neque verò cum aliquo imbelli hoſte, regno Poloniæ res eſt; ſed cum Turcis primùm, qui nihil vmquam ne ioco quídem concupierunt, quod non ſeriò iuſtis poſſeſſoribus iniquiſſimè eripuerint; deinde cum Scythis etiam ipſis, qui non ſemel ſuis victorijs cõcutientes orbem,tot bellicoſiſſimis regibus deuictis tot maximis exercitibus ad internitionem cæſis, ſemper ab alieno imperio, aut intacti, aut inuicti, nullis vmquam armis domari potuerunt, qui immenſas corporum vires, ſumma laborum incomodorumque patientia exæquantes, impijs aſſuefacti bellis, nihil magis humanum putant, quàm humanam pacem infeſtis armis ſolicitare: quorum denique repentinis incurſionibus,niſi tempeſtiuè obuiam eatur, in Chriſtianas irrumpentes prouincias, multiſque millibus hominum in ſeruitutem abductis, flagitioſum mercatum concelebrant, vt a barbaris captos Chriſtianos in ipſam Chriſtianorum perniciem nundinentur. Aduerſus igitur illos, non ſanguinarios tantùm, ſed &

vena-

venalitios Chriſtianorũ omnium hoſtes,gens noſtra pro communi ſalute propugnationẽ ſuſcipiẽs,ad pulchra vulnera contemptumq; mortis,non imperij amplificandi cupiditate, ſed ſolo defendendę religionis ſtudio,ita accenditur;vt ſępe illos longè lateq; patentes ad Boryſthenẽ, campos hoſtiũ cadaueribus cõpleat,& ſuo ſanguine cruentet.In quo ſanè maiorum ſuorum æmulatur virtutem,qui anniuerſaria, per annos ferè ſeptingentos pro fide Catholica obeundo bella, multis immortalibus editis operibus, magna regum ſuorum viderunt decora. illi enim chari ſuis, metuendi hoſtibus, ardentiſſimo quodam vetuſtæ fidei conſeruandæ ſtudio inflãmati, ſarta tecta Romanorum præcepta Pontificum, exacta & vndique conſtante obedientia ſemper habuerunt; ac paratum pro ſedis huius dignitate,ad pericula ſubeunda, ad vitam ipſam profundendam animum, multis ac illuſtribus argumentis non ſemel declarauerunt. Quorum veſtigijs Sigiſmundus III. Poloniæ rex inſiſtens,& ad ſolidam veræ laudis gloriam contendens,domeſtica maiorum ſuorum exempla, nõ ſolum imitari, verùm etiam exprimere conatur. In primis autem Catholicæ religioni,non innutritus tantùm,ſed etiam innatus ſummam erga ſanctam Apoſtolicam ſedem obſeruantiam teſtari cupiẽs;tibi Pater Beatiſſime, qui Chriſti vice in terris fungeris, omnem obedientiam, quæcunque optimo parenti ab obſequẽtiſſimo filio debetur,ſãctè pollicetur,& verè, atq; ex animo pręſtat tibi,omnes regni ſui vires,omnem potentiã, ſe deniq; ipſum ac Poloniæ regnum dicat, atque conſecrat. Poſtremò Sanctitati tuæ omnia fauſta ac proſpera,ita precatur,vt diutiſſimè pius, felix, & inclytus, Eccleſiam Dei, ad communem populorũ omnium ſalutem adminiſtres, foueas, conſerues, vtq; luſtrato tua ſolicita cura vniuerſo orbe, per purgatas,ab omnibus erroribus prouincias:conſtitutam Eccleſiam,diſciplinam,Rempublicam Chriſtianam multis expeditam terroribus,ſtabilitam,ac fundatam omnium populorum pacem inter tua diuina opera meritò numerare poſſis.

DIXI.

RESPONSIO

MARCELLI VESTRII BARBIANI

Vtriuſque Signaturæ Referendarij, & Secretarij Apoſtolici domeſtici, nomine S. D. N. Gregorij diuina prouidentia Papæ XIIII. reddita Orationi, quam Illuſtriſſimus, & Reuerendiſſimus Dominus Bernardus Epiſcopus Luceorienſis Sereniſſimi Sigiſmundi III. Poloniæ Regis Orator habuit, cum pro eodem Sigiſmundo Rege in Conciſtorio publico in Palatio Apoſtolico apud Sanctum Petrum habito, eidem Gregorio Pont. Max. obedientiam præſtaret.

DE Legatione iſta multis nominibus inſigni Venerabilis Epiſcopo, & Nobilis orator, Sanctiſſimus Dominus Noſter ita ſtatuit. Obedientiam, & venerationem, quam Sigiſmundi III. Poloniæ Regis nomine Sanctitati ſuæ, & huic ſanctæ Sedi deuotus exhibes, libenter vnà cum Venerabilibus his fratribus ſuis S. R. E. Cardinalibus excipit, legantis pietatem agnoſcit, Legati fidem probat, officij celeritatem commendat. Quæ de Sanctitatis ſuæ virtutibus prædicas, ea minime ipſe ſibi tribuit, ſed ſi vera ſunt, Deo bonorum omnium au-

ctori

ctori referenda eſſe ſentit; ſin minus, orandum cenſet, vt ſint vera, Regis, atq; eius ditionum in Catholicæ fidei, & Sedis Apoſtolicæ cultu progreſsionum commemoratio, Sanctitatis ſuæ, atq; huius ampliſſimi ſenatus aures, & corda lætificat. Bonorum enim profectus, eius fructus eſt, & gloria illorum, gloria eſt, eius, qui ſolicitudines omnium portat. Iam verò, vt Rex in eodem cultu, ac ſtudio perſeueret, ne dum à præclara ipſius fide expectat, ſed à Regia eiuſdem animi conſtantia requirit. Ut autem libentiùs ſua cauſa id faciat, abſentem quaſi præſentem complectitur, auctoritatem ei ſuam defert, & quæcunq; à Patre amantiſsimo exoptari poſſunt officia, & ſtudia, ea prompto animo pollicetur. Expectent nunc viri Principes Regnorum ſuorum firmitatem non aliunde, quàm ex ipſo Sedis Apoſtolicæ cultu, quem exhibent, & Catholicæ fidei depoſito, quod cuſtodiunt.

BIBLIOT. ROMA VITTORIO EMANUELE